



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. XII. De irregularitate ex defectu scientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

est. Ita passim Doctores. Multo ergo minus irregularis erit filius Christiani novi; Solum enim filium Hæretici ob peculiarem Canonum constitutionem irregularem esse, dicimus infra, quia tunc Ecclesia vult punire delictum patris in filio.

4. Secundò, qui à Christianis natus diu vixit inter Infideles, & Infidelium sectam non est professus, si deinde ad suos reversus rite Baptismum suscepit, non est Neophytus, nec Irregularis. Ita Doctores iidem in d.c. *scilicet d. 48.* quia de ratione Neophyti est, ut falsam Religionem ante Baptismum fuerit amplexus.

5. Tertiò si idem à Christianis natus potuit baptizari, sed noluit, quamvis deinde, urgente periculo mortis, Baptismum suscepit, Neophytus est, & irregularis, C. *Siquis dist. 57.* & Reg. Vgol. l. de Irreg. cap. 2. §. 3. num. 1. & Gibal. de Irreg. cap. 4. §. 4. n. 16. quia susceptio Baptismi, quando urget necessitas, non vacat suspitione infirmæ fidei. Sed notandum, quod additur in c. *Siquis d. 57.* Nisi forte postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum varietas exegerit. His explicatis superius quaestiuicula tres.

Quodnam tempus purgat hanc fidei novitatem?

6. Quaestiuicula prima. Quandiu est expectandum, ut adultus noviter baptizatus judicetur purgasse novitatem, atque adeo amplius Irregularem non esse?

Respondeo, satis esse annum, putat Ricciull. d. *Neophytis cap. 10.* quia Miles, & Servus post annum cum veteranis adscribitur. Duos requirit Romanus, *sing. 42. 1.* & Campanini in *Diversis iuribus Civ. Rubr. 1. 1. cap. 7. num. 5.* quia circa duos annos potest quis doctrina, & Christianis moribus sufficienter instrui. Navarr. in *manuscr. cap. 27. num. 205.* Majol. de Irreg. lib. 1. cap. 3. 1. num. 1. Fill. *tract. 19. cap. 7. num. 84.* Gaf. Hurt. de Irregul. d. 2. d. ff. 9. num. 1. Bonac. loc. cit. & alii decennium requirunt, fortasse propter illud S. Hieronymi (debes multo tempore addicere, quod docas) multum autem tempus decennio mensuratur in Iuv. L. *Si cum §. Arisco ff. Qui & à quibus.*

7. Vera sententia est, id arbitrio Episcopi esse relinquendum. Ratio est, quia in Iure tempus certum non designatur, sed potius sic loquitur Pontifex. C. *Neoph. dist. 61.*

Neophytus ne ordinetur. At, si non deest humilitas competens Sacerdotio, ubi causa non haeret, vitium non imputatur.

Episcopus ergo nunquam statim à Baptismo Neophytum ordinet, quia tunc certo est irregularis, quia posito, quod quis prudenter iudicetur Neophytus, irregularitate laborat à solo Summo Pontifice, ut mox dicemus, dispensanda. Episcopo autem solum competit declarare, an hic sit Neophytus, necne. Verum, si post aliquod tempus iudicet Episcopus, Neophytum ea præstare fide, humilitate, doctrina, ut merito sit cum cæteris Veteranis adnumerandus, adnumeret, & jam tanquam Veteranum promoveat. Ita Covarr. loc. cit. Suar. de Cens. d. 43. *sect. 3. n. 6.* & 7. Bonac. Filliuc. l. c. n. 240. Diana p. 4. tr. 2. ref. 50. Avila de Cens. l. c.

An Neophytus etiam à Minoribus, & prima Tonsura sit rejiciendus?

8. Non esse ab his rejiciendum, putant aliqui cum Bonacina. loc. cit. num. 5. At rejiciendum, putat Filliuc. loc. cit. num. 184. Suar. de Cens. loc. cit. numer. 5. Avila loc. cit. concl. 1. Vgol. de Irregul. cap. 2. §. 2. n. 2. alique. Ratio utriusque sententiæ est, quia priores non putant esse indecentiam, Neophytum his Minoribus iniciari, putant posteriores. Sed tandem utramque sententiam esse probabilem, pronuntiat Gibal. de Irregul. cap. 3. *quæst. 3. numero 12.*

9. Illud certe nemo negabit, quia ad primam Ton-

suram, Minorisque Ordines minor aptitudo requiritur, quam ad Majores, facilius polle Episcopus, declarare, hunc ad illos idoneum esse, quam ad hos, quia posita declaratione, jam irregularis quod Minoribus non erit.

Trabentes originem à Iudæis, Saracenis, Infidelibus, & aliqua macula Irregularitatis Canonica insciantur?

10. Nulla prorsus, ut luculenter, & multis citatis late probat Lezana, *consulto 16.* Nam licet in aliquibus Ecclesiis repellantur ex peculiari Summi Pontificis placito à Beneficiis, & in aliquibus Religionibus repellantur à Religione; tamen particularis hæc constitutio non officium prædictis, ut voluit Sayr, de Cens. lib. 4. cap. 13. num. 12. Felin. in c. *Eate, de Refect. Covarr. loc. cit. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 28.* Suar. de Cens. d. 43. *sect. 3. num. 8.* ne possint Ordines suscipere, quia quod Ordines nullam jus est contra illos. Eas autem particularis constitutiones esse legitimas, latissime probat Eloshe à Corro T. 1. in *Analog. contra Amayon.* in evidentiissima disputatione de hoc argumento, De natis ab Hæretico jam supra indicavi me paulo post esse dicturum, cum de irregularitate ex Hæresi.

§. II. Quis dispense in prædictis Neophytis?

1. Solus Pontifex. Quia ratione autem Episcopus possit indirectè dispensare, id est declarare, hoc indicatum est in præcedentibus.

CAPVT XII.

De Irregularitate ex defectu Scientiæ?

§. I. Quis eam contrahat?

1. Illiteratorum quatuor gradus facio. Primum, qui quis tantum scit legere, & scribere lingua materna, nam, qui infra id, nimis est manifestum, quantum de illiteratum.

2. Secundum, qui non solum materna, seu vulgari lingua, verum etiam Latina legere didicit, & scribere, at ad ea, quæ Latine scribit, legitive, intelligenda non pertingit.

3. Tertium, qui legit, scribit, intelligitque Latina, sed nec perfectè eadem intelligit, nec perfectè loquitur, intelligit tamen substantiam ejusmodi notationis.

4. Quartum, qui hæc omnia perfectè intelligit, loquiturque, sed ad Doctoratum, sive Canonatum, sive alterius facultatis, nec pervenit, nec ad illum propter ingenii hebetudinem, vel propter aliud, aliquando potest.

5. His quatuor gradibus distinctis tutam dabimus Deo favente, de Illiteratorum irregularitate doctrinam. Nam, quia Gibalini cap. 3. §. 3. à num. 5. hos quatuor duos tantum gradus contrahit, minus rectè, quia hebetudine nimis, de hac irregularitate locutus est.

6. Porro illiteratus primo gradu, C. non censetur ill. 5. C. *Illiterat. dist. 36.* C. *ubi de Temp. Ord. in 6. Gloff.* multo magis infra ipsum C. *Quemad. de Iure Jur. Nav. c. si quando excepti. 13. de ref. Menoc. de Arbit. l. 1. casu 425. n. 10.* Vgol. de Irregul. cap. 3. §. 2. n. 1. Barb. de Pot. *casu 425. n. 10.* Vgol. de Irregul. cap. 3. §. 2. n. 1. Barb. de Pot. *alleg. 26. n. 9.* alios cit. est omnino Irregularis, durante eo men ejusmodi imperitia: & merito, quia is non potest ea præstare, quæ pertinent ad ministeria Ordinis, quæ Latina passim scripta leguntur. Vnde, tum, qui sic ordinatur, tum qui sic ordinatur peccat graviter, & iniquè ipse sic ordinatus, illicite Ordines exercebit.

7. Excepe primam Tonsuram cum Rebutto de pot.

pass. 27. & 29. Glossa C. precipimus diff. 34. Nam si quando Episcopus adverteret, primum initiandum scientem duntaxat legere, & scribere materna lingua, cuiusmodi esse indolis, atque in iis circumstantiis, ut facile credi possit, fore brevi aptum ad scientiam morem, ordinare illum sine incommodo posset. Vide mox §. 2. n. 1.

8. Illiteratus in secundo gradu non est Irregularis, seu ineptus ad Minores Ordines, est tamen ad Maiores propter rationem modo n. 6. indicatam. Confirmatur ex Textu C. Quamvis, de etate, & qualitate, in quo Pontifex deponit Episcopum à muneris Pontificij executione, & administratione, quia idemmet Episcopus confessus est, se nunquam Grammaticam didicisse, & nec, vel Donatum legisse. Si ergo Episcopus à suscepto Episcopatu removeretur ob eiusmodi illiteraturam, quanto magis removeretur quis ab Ordinibus nondum susceptis?

9. Illiteratus in tertio gradu cum variam habere latitudinem possit, arbitrium erit penes Episcopum respectu sui subditi iudicare, an tantam habeat literaturam, quanta requiritur ad singulos Ordines: cum certum sit pro Minoribus minorem peritiam, pro Maioribus maiorem exoptari. Id aliquanto distinctius explicabitur mox in seq. §. ex Trident.

10. Illiteratus in quarto gradu non est Irregularis: immò ipsa praxis docuit, ad Ordines etiam Maiores non requiri, nec Doctoratum, nec tantam scientiam, quanta consuevit esse in Doctore.

§. II. Quid Tridentinum circa prædictam literaturam explicaverit?

1. Hæc in universum ferè dicta reddidit Tridentinum sess. 23. c. 11. 13. & 14. de Ref. claria, quando unicuique Ordini suum peritiæ gradum affixit, sic enim habet.

Pro prima Tonsura sciat Tonsurandus legere, & scribere, & rudimenta Fidei. Nota autem hic Sanchez in consil. 17. c. 1. dub. 45. num. 13. sufficere, si sciat legere, & scribere lingua vulgari: quod certè est quid amplius, quam quod diximus §. præced. num. 7. cum Rebuffo, Pergit Trident.

2. Pro Minoribus latinam linguam intelligat. Et profecto in bonæ indolis pueris, quando spem præ se ferunt maioris literaturæ adipiscendæ, potest præsumi, Tridentini mentem non fuisse, eos excludere, si non recte intelligant, quæ rectè latina legunt. Spes enim illa potest æquivalere necessariæ dispositioni. Confirmatur, quia videri, eiusmodi esse praxim. Vnde Turrecremata & Gemin. C. Illiteratos diff. 36. Innoc. C. In cunctis de Electione, cum aliis dicit, puerum, qui pro ætate didicit, ostenditque, pro tempore proficere posse, non debere appellari illiteratum. Redeo ad Tridentinum.

3. Pro Subdiaconatu (inquit) & Diaconatu litteris, & iis, quæ pertinent ad eos Ordines, quos suscipit, exercendos, sit instructus.

Pro Sacerdotio eas habeat litteras, quibus possit docere populum de his, quæ ad salutem sunt necessaria, scilicetque administrare Sacramenta.

4. Non tamen puto oportere, ut is idoneus sit ad Confessiones excipendas, tum, quia non omni Sacerdoti hoc munus imponitur, tum, quia, quando imponitur, nova debet ex eodem Trident. loc. cit. c. 15. approbatio, novumque examen accedere. Faver eiusmodi Sacerdotibus non admodum peritis ea S. Aug. relati in cap. Speculo diff. 38. monitio, quæ ait non, esse corrigendos ab eruditioribus, sed pie tolerandos illos Antistites, vel alios Ecclesiasticos Ministros, qui fortè cum barbaris, & solæcis Minis dum invocant, vel eadem verba, quæ pronuntiant, non intelligant, perturbatèque distinguunt, modo hi sententiam intelligant. Hæc Sanctus, & Pius Doctor. Licet autem hic sermo sit de iam promotis, ducere tamen hinc aliquale argumentum poterit prudens Episcopus, pro promovendis.

5. Illud etiam est intelligendum, ut, quando initiandus

est necessarius pro aliquo oppido, ubi sapientiore habere Episcopo non datur, possit, (ut observat rectè Menochius de Arbit. lib. 2. casu 41 §. fin. cui adde Gloss. d. 55. C. Præf. & eand. Gloss. d. 57. cap. 1.) minori præditus peritia promoveri.

6. Si hac occasione scire aveas, quam litteræ requirantur ad Beneficia, sive Maiora, sive Minora Ecclesiastica, lege Canonistas in C. Cum in cunctis, de Elect. Castropal. Garfiam, Lotterium. Azor. in propriis tract. de Beneficiis, & aliquid tangit Sanchez, in consil. lib. 7. c. 1. dub. 45. n. 11. nec omittatur Tridentinum sess. 24. c. 12. de Reform.

§. III. Quenam scientia requiratur in Religioso initiando?

1. Quoniam Pontifex prohibet ne Episcopi primam Tonsuram conferant illiterato, nisi fortè Religioni nomen det, ideo colligunt aliqui Recentiores, tum pro prima Tonsura, tum pro aliis, quibuscumque Ordinibus, atque adeo pro Sacerdotio, minorem scientiam requiri in Religioso, quam in seculari. Addunt, cum Religiosus versetur sæpe cum valde doctis, facile illum ipso usu peritiorem reddi posse.

Equidem scio à multis ut Henric. & Villa. cit. à Portella in dub. Reg. V. Ord. Sacri n. 6. Glian. de Conf. V. Ignorant. Gibal. de Irreg. 3. q. 3. n. 8. fin. & probab. tutumque putat Diana s. 2. tr. 16. ref. 29. & p. 4. tr. 2. ref. 74. Castrop. d. 6. de Conf. p. 10. n. 3. id tanquam probabile doceri. Verum ego cum Ledesma in summis. 1. tr. de Ord. c. 7. concl. 4. illis acquiescere nequaquam, propter sequentes rationes, vel nolui, vel non potui.

Primo, quia id nullo iure, sed omnino gratis docetur. Immo in Tridentino sess. 13. cap. 12. de Reform. sic præcipitur.

Regulares, nec in minore ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque, quoad hoc penitus exclusis.

Profecto, si diligens examen cum Religiosis est habendum, quæ ratione exigua doctrina in illis erit satis? Ad exiguam doctrinam inveniendam diligenti examine non est opus.

Secundo, quia hæc nostra ætate non minus à Seculari, quam à Religioso, ne dicam multo amplius, requirunt instrui Fideles, & æquale periculum est in utroque, tum errandi in docendo, tum errandi in Sacris ministeriis peragendis.

Tertio, quia non loquuntur consequenter Contrarii, Ipsi enim cum explicant, quid satis sit literatum pro Religioso Sacerdote, dicunt, sufficere, ut is bene legat, & pronuntiet (utique Latine) & item, ut mediocriter Latinum Sermonem intelligat. At ego affirmo, fieri non posse, ut quis hæc habeat, quin sit aptus, sive Religiosus sit, sive Secularis, ad Sacerdotium, ad arbitrium tamen Episcopi, cui id remisimus paulo ante. §. 1. n. 8. & §. 2. n. 5.

Quarto, quia Contrariorum rationes facile dissolvuntur, nam Textus ab ipsis allatus n. 1. qui loquitur de sola prima Tonsura, non est ad alios Ordines extendendus, si quidem homini Religionem ingredienti, qui ob ipsum ingressum sit Ecclesiasticus, facile conceditur prima Tonsura, quæ nihil amplius facit, præter quam constituat in eodem statu Ecclesiastico: At in aliis Ordinibus ad altiorum gradum ascenditur.

Ad id, quod additur, Respondeo, etiam parem convictum cum Doctis habere Sacerdotem Secularem, si suo officio non desit, vacandi semper in Ecclesiis, præterea nullum Episcopum invenies, qui te velit promovere ad Sacerdotium, nisi solam spem, quod Patrem, Fratrem, que germanos habeas, quite continuo instruant. Instruendos Sacri Canones, & præcipue Tridentinum requirunt, non instruendos.

Non autem esse tam rigidas, volo, ut non approbem illa duo, quæ merito approbat Maiol. de Ir. l. 1. c. 32. n. 7. Alterum

Alterum, aliquid circa litterarum peritiam indulgeri posse pro Regularibus, si sint Anachoretæ, & solitarij.

Alterum, si ordinandus, ut notavi §. 2. num. 5. necessarius sit pro Oppido, vel Sapientiores haberi nequeunt, multo magis si indigeat operariis pro vinea Dei in locis infidelium, supposita solida virtute ordinandi, quia præstat Sacerdotem habere non valde doctum, quam habere nullum.

Adde, & tertium cum Gualino de Irreg. cap. 3. q. 3. n. 8. sine, & Villalobos. Si Canonici, inquit, vel alij Beneficium habentes insignes sint moribus, aut alio quopiam eximio dono præditi, facile scientiæ defectus aliquis dissimulari poterit. Hæc illi de Beneficiariis, quæ certè Sacerdotio in aliquo raro casu convenire posse, non est repugnandum.

§. IV. De examine Ordinandorum ad cognoscendam eorum peritiam.

2. Vixta Tridentinum sess. 23. c. 12. de Reform. ut diximus, omnes, etiam Regulares, sunt diligenter examinandi subdendi. Circa, quod cum declaratione non indigeat, duo adverte duntaxat.

Primo, si ordinandus sit aliunde notus, posse examini non subire, ut notat rectè Sanchez de cens. lib. 7. cap. 5. disp. 46. n. 8. in modo convenientius fore, puto, si ille non examinatur, quando eius certa peritia est, ut nimirum intelligant omnes benignè, immò, & cum decore excipi ab Ecclesia Sapientes.

Secundo, Regulares ex vi Tridentini citati subduntur examini Episcoporum, ut probat Castrop. de Ord. p. 8. n. 1. non obstantibus eorum privilegiis. Tamen, quia post Tridentinum adest Privilegium Gregorij XIII. quo videntur eximi ab examine prædicto promovendi ex Societate, omnesque ferè Religiones contendunt hoc idem Privilegium ipsis per communicationem fuisse concessum, id, quod meum, nunc decernere, non est fidei solam Episcopis dico, eos posse acquiescere examini, seu approbationi factæ à Superioribus Religionis pro suis Religiosis promovendis, sicuti acquiescere idem Episcopus solet suis propriis Examinatoribus. Id autem dico, quando Episcopo moraliter constat de sinceritate, & diligentia dictorum Superiorum. Quod addo, quia nimis frequenter adverti, Superiores plus æquo esse in re hac indulgentes suis Religiosis, cum tamen etiam ipsos Religionum Prælatos respiciat Præceptum Tridentini, ut diligenter examinent promovendum.

§. V. Quis dispense in defectu scientiæ?

1. Si constet, esse quempiam illiteratum in eo gradu, quo §. 1. dictum est, statim constabit, eum esse Irregularem ita, ut nemo illum dispensare, nisi Summus Pontifex, possit.

At quia, ut in simili supra notavimus, sæpè Episcopo declarare conceditur, imperitiam non esse in eo gradu, qui constituat hominem illiteratum, atque irregularem, ideo poterit tunc Episcopus eundem ad Ordines promovere.

CAPVT XIII.

De Irregularitate ex mala usurpatione Baptismi.

Ex aliorum Sacramentorum abusu nulla, teste Castrop. de Cens. d. 6. p. 16. Laym. l. 1. p. 5. c. 2. Suar. d. 42. de Cens. sect. 2. oritur irregularitas, præter Baptismum, & ordinem, de quibus iam brevem tractationem aggredior.

§. I. De Baptismo male suscepto.

1. Qui Baptismum (uniquè validum) ab hæretico scienter extra casum necessitatis recipit, irregularis est. Ita Suarez 3. p. 1. 3. de 35. sect. 6. sine Theol. de pœni. Eccl. p. 2. v. Bapt.

2. Dixi (scienter) nam tum infans (quicquid dicitur Maiolos) tum adultus, qui hanc prohibitionem nescit, sicuti excusatur à culpa, sic & excusatur ab hac pœna.

3. Dixi item (extra casum necessitatis) quia excusaretur modo is, qui morti v. g. proximus Catholico baptizante carens, ab hæretico baptizari se finxit. Excusaretur etiam, qui metu gravi coactus ab hæretico Baptismum susciperet; is enim etiam putatur casu necessitatis.

4. Qui autem, cum sit adultus, Baptismum recipere differt usque ad articulum mortis, sive, quia præsumit voluisse peccare libere, unde sit indignus Ordine, sive, quia est numerandus inter Neophytos, irregularis est, C. unic. dist. 57. ut supra vidimus cap. 1. n. 1. n. 58.

5. Quæres. Qui baptizat privatim aliquem sine necessitate, peccat sine dubio: at incurrit irregularitatem?

Respondet. Aliqui putant tum Laicum, tum Clericum non Sacerdotem incurrit, si sine necessitate sit privatim, sive solemniter baptizet. Sed probabilissimum iam hodie est, Laicum nunquam incurrit, Clericum vero non Sacerdotem incurrit solum, quando solemniter baptizat sine necessitate. Ratio dictæ dicitur est, quia in c. 1. §. 2. de Clerico non ordinari, ubi irregularitas fulminatur, solum loquitur Pontifex de Clerico non Sacerdote baptizante solemniter sine necessitate. Igitur non est extendenda ad alios, nec ad Baptismum privatim. Quare idem Clericus, si baptizet extra necessitatem privatim, repugnantem Sacerdoti, vel Parocho presentem, esto peccet, irregularitatem tamen non incurrit. Nec obstat, quod in d. cap. prohibetur sub irregularitate exercitium Ordinis ei, qui non est ordinatus, non obstat inquam, quia Baptismus non solemniter, non est exercitium, seu actus ordinati, ut ordinari, sed cuiusvisque etiam Laici. Lege Sylvestrum, V. Irreg. q. 12. §. 27. Gratian. tom. 5. dist. 2. n. 1. Suar. de Sac. 31. sect. 3. G. Hurt. de Irreg. d. 2. diff. 2. n. 5. aliosque.

§. II. Ex Rebaptismo.

1. Ex Rebaptismo absolute facto evadit irregularis, is, qui ex officio ministrat dicto Rebaptizanti. Quia (absolute facto) nam ex conditionato, puta si hæreticus baptizatus, re baptizos, quamvis teneat, id sine sufficienti ratione dubitandi repetatur Baptismus, nulla inducitur irregularitas. Ita Suar. aliique cità Diana p. 3. tr. 4. ref. 9. Gibal. de irreg. c. 4. q. 4. n. 12.

§. III. Quis dispense in his.

1. In his unus Summus Pontifex dispensare valet. Incipe Primo, quando Rebaptizans ingreditur Regionem; tunc enim ex cap. Litterarum de Appell. pœni. Episcopum dispensare, docet Prates, in manus, c. 4. de Irreg. disp. 5. c. n. 16. Excipe Secundo, quando delictum est occultum; tunc enim ex Tridentino sess. 24. c. 4. de Reform. dispensat etiam Episcopus, ut Ioan. Præp. 3. de Bapt. art. 9. dnb. 3. num. 105. & 106. signate vocat.